



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canoncis, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

D

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

ratis, & re mature discussa, cum litera Nicolai nihil in se contineant: quod a ratione sit alienū. diuque in Regno Sicilia predicto magna cum incolarum tranquillitate obseruata fuerunt, literas vero Pij Quinti tam primo, quam secundo, loco emanatas, eidem Regno minime expedire attestetur predictus Rex Catholicus, cui tanquam optimo Regi & diligenti Patrifamilias, in his, praesertim, quae suorum subditorum utilitatem concernunt omnino credendum esse duximus, supplicationibus predictis inclinari, ut tamen Regi ipsi, quae omnibus, & singulis Regni Siciliae ultra, Phari, incolis, & habitatoribus, & locorum ciuitatum, & terrarum, vniuersitatibus praesentibus, & futuris census iuxta Nicolai V. Constitutionem facere, emere, & vendere liceat, eosque sic constitutos census, validos, & licitos, non autem feneratorios esse perinde, ac si litera Pij V. predicti non emanassent: tenore praesentium Apostolica auctoritate concedimus, declaramus, & statuimus. Illud addentes, ut in censuum optione, & venditione, prius vnus vel plurium rerum certarum super qua, vel quibus, census suscipere constituatur expresse, & deinde si voluerint omnium bonorum in genere mentio fiat, quae admodum in censualibus contractibus huiusmodi in futurum in eo Regno celebrandis, & praeritis in quibus forte prius generalis, deinde specialis bonorum mentio facta est, quo ad hoc in suo robore permanentibus, et ineri, & quatenus opus sit, de nouo introducti, & obseruari praecipimus. Praeterea si qui abusus in contractibus predictis faciendis irreperint qui constitutioni Nicolai predicti aliqua ex parte aduersantur, vel facultatem redimendi censum, tam annualem, quam perpetuum iuxta dicti Nicolai, & Pij Quinti, literas esse decernimus, quam perpetuum iuxta dicti Nicolai, & Pij Quinti, literas esse decernimus, aliquo modo restringant eas omnes harum auctoritate literarum quas perpetuo valere volumus, abolemus, literis Pij V. & quatenus literis Nicolai V. aduersantur, vel aliud praeterea decernunt & aliis contrariis, quibuscunque non obstantibus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Ianuarii 1574. Anno secundo.

DATA ET PROMISSA PRO IUSTITIA, VEL GRATIA
obtinenda a Sede Apostolica.

PRAETER Summistas in uerbo excommunicatio sciendum est, qualiter per Greg. xiiij. fuit facta innouatio censurarum, & poenarum quas fel. recor. Bonifacius Papa viij. edidit contra paciscentes, seu dantes & accipientes, aut promittentes, & acceptantes pro expeditionibus gratiae, vel iustitiae, et ipsarum extensio, ut patet ex eius constitutione, publicata Romae die 8. Nouembris 1574. incip.

Cogru
it ti. de
sen. ex
com.

Ab ipso Pontificatus nostri principio quam maxime possumus enitimur, atque contendimus, ut domus & curia nostra a sordibus expurgetur. Cui salubris consilio incumbens fel. recor. Bonifacius Papa octauus excommunicauit, & anathematiza de sen. uit omnes clericos, Religiosos, & laicos utriusque sexus, siue familiares curiae, siue vnde cunque alios qui aliquod pactum facerent seu quid paruum, vel magnū promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto vel promissione occulta, uel manifesta siue sub uerbis generalibus, & plene non expressis, siue specialibus & aperte expressis facta, quicquam darent, aut reciperent pro iustitia, siue gratia, siue pro se siue pro alio in causis, vel iudiciis seu alias per literas Apostolicas, & quibuscunque aliis modis

Extra
uag. i.
de sen.
exco.

modis apud sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, et acceptantes, dantesque & recipientes duxit extendendam illos etiam qui sibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententia subiaceri. Ac decreuit, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam, absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admitteretur, ad absolutionis gratiam nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Insuper vero siue gratia expeditiones sic obtenta nullius prorsus essent roboris vel momenti, & scienter illis vtentes simili sententia innodauit: ac reseruant sibi absolutionem eorum cum predictis ad penas similes in omnibus obligauit. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, vt plerique cupiditate improbi quastus potentiorum suffragationibus aduixi huiusmodi negotiationum expeditiones hac illac conquirentes turpissime mundentur. Alii alios, quos gratia prestare arbitrantur, donis pollicitationibusque ambiunt. Quidam etiam se calium operam atque industriam pretio & muneribus quassisse effingant. Quae cum pessima sint, & Curia predicta existimationem grauissime offendant; in eos qui talia agunt, animaduertendum fore arbitrari, Constitutionem predictam cum suis censuris & penis omnibus innouamus: easdemque omnes extendimus ad audetes quaeleunque horum facinorum que adscripsimus, dantesque illis & aliis supradictis auxilium, consilium, uel fauorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio, & officio ecclesiastico et seculari siue temporalis, siue perpetuo, ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus, & praeterea infamia subiectos perpetuo an inhabiles ad illa, et alia esse volumus. A quibus etiam, prout quaeque res erit, tales pena exigatur quae ceteris sint exemplo, illis tamen qui rem adhuc incognitam, complicesque, ac fautores, et socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Roma apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1574, nonis Nouembris Pontificatus nostri Anno tertio.

Ca. Glorierius.

M. Datarius.

Hanc extrauag. declarauit Nauar. in commentario de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia obtinenda.

DIES FESTVS.

Cognit
ritus. de
fer.

PRÆTER Summissas in hoc verbo & in ver. Dominica, sciendum est, decreto Conc. Trid. sess. 25. de regular. capit. 12. caueri, quod dies festi, quos in diocesi sua seruandos episcopus praeeperit ab exemptis omnibus etiam Regularibus, seruentur. Extat etiam constitutio Pij Quinti in Bullar. fol. 925. incip. Cum primum, & infra.

a. i. et si.
deserijs.

Cum vero dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maxime pertineat & in lege diuina praecipatur, cupientes abusus prauos; qui ex eorum inobseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum canonum statuta renouantes mandamus, vt omnes dies Dominici, & praecipue in honorem Dei, Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum feriat, cum omni ueneratione obseruentur, & omnes in diebus praefatis ecclesias frequenter, diuinis officiis deuote intendat ab omni illicito, & seruil opere abstineant, mercatus non fiant, profana negotia nonnes, & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus praefatis opus ali quod illicitum fecerit deprehensus fuerit, praeter diuinam uisionem, & amissionem

a. 1012.

animalium, quibus ad vecturam vretur, etiam graues pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in Vrbe. In aliis autem locis arbitrio ordinariorum, vel aliorum magistratum, ita vt præuentioni locus sit. Quibus omnibus districte præcipimus, vt hæc diligenter obseruari præcurent; illas etiam festiuitates, quæ iuxta consuetudinem locorum solenniter celebrari consueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis.

Congregatio Concilii censuit licere diebus festis dare operam rebus ad victum necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, & messium, ac reollectionis fructuum, vel vbi necessitas vrgeat, aut suadeat pietas. Hier. Card. Matthæius. Loc. Sigilli.

Et huic declarationi conformari videntur c. licet, & c. fin. de feriis, & dicta per Sylue. in uerbo Dominica. quaest. 7. Neapoli vero contra inobedientes, & non obseruantes diem festum exigunt tantum tres Caroleni pro pœna cum restitutione animalium, & bonorum interceptorum, quæ pœna applicatur pnis vrbibus, & si fuerint pauperes, relaxatur vti pauperibus.

An & quando non obstante consuetudine Nundinæ solennes, & priuatæ *Dies festus.* possint prohiberi per Episcopos diebus festiuis tam de iure communi, quam ex decreto Sacræ Congregationis Concilii, adde S. Stephanum Gratianum in decilio. 11. Rotæ Marchæ, Romæ impres. ubi num. 17. refert, quod quo ad nundinas priuatas Sacra Congregatio resoluit declarando leuissime Archiepiscopo Neap. prohibere nundinas, siue mercatus, quæ de consuetudine antiqua celebrabantur in ciuitate Neap. in festiuitatibus S. Mariæ Annunciatæ, & Spiritus Sancti, cum a præfato decreto facta per Archiepiscopum fuisset habitus recursus ad d. Sacram Congregationem per Præpositos, seu Magistros dictarum Ecclesiarum.

Quo uero ad nundinas publicas adest infra scriptum eiusdem Sacræ Congregationis particulare decretum, editum occasione nundinarum, quæ in ciuitate Racatanen. consueuerunt fieri ex indultis, & auctoritate SS. Pontificum ab eodem Gratiano ibid. num. 20. relatum, cuius tenor talis est. *Præceptum de Dominicis, & festiuis diebus sanctificandis, & obseruandis sub prætexto mercatorum nundinarum, & feriarum nullatenus esse violandum. Ceterum his diebus licere Agasonibus, ac alijs iumentorum vectoribus seu mercium conductoribus bacra Cõgrediõnis. & alijs huiusmodi seruientibus, ac ministris sarcinas, & onera nundinarum causa exonerare, & deponere incipiumque iter Missa tamen prius audita, transactionis. secundo prosequi, & contiuare: Non autem debere sarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de nouo incipiendum; Neque mercatoribus aut alijs ciuibus, & viatoribus ijs diebus etiam clausis apothecis merces vendere, emere, aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria aut alia minuscula, & modici momenti opera iam conflata, & elaborata pro transeuntium hospitum aduenarum, & exterorum vrgenti & presentanea necessitate & opportunitate. In quo partes erunt Episcopi propositis dictis, prouidere, vt in primis hi festi dies debita obseruatione colantur simulque populorum, eo confluentum necessitatibus, quantum sine diuina offensione fieri potest, consulatus. Quo ad iudicia autem, quæ Dominicis, & festis diebus silere debent, id obseruari poterit, quod iure communi permittitur in quibusdam vrgentibus casibus, qui moram, & dilationem non patiuntur; In quibus, & alijs iurisdictionem consulum nudinis præpositorum cõcernentibus constitutiones,*

& Summorum Pontificum, si quae habent priuilegia, & allegatum Breue fel. rec. Pij V. seruanda esse statuit.

DISTRIBVTIONES QVOTIDIANAE.

POST dispositionem Bonifacij Papae VIII. de qua in cap. vni. de cleri. non resid. lib. 6. vbi quotidianarum distributionum materia sedes residet, fuerunt aliqua per sacrosan. Conc. Trid. circa illas ordinandas, augendas, diuidendas, & a quibus recipiendas, sancita; sess. 21. & sess. de refor. c. 3. ac sess. 24. de ref. c. 12. S. Distributiones vero, & c. 17. De Canonicis celebrantibus Missam priuatim tempore horarum, item & de associantibus suum Episcopum extra Ecclesiam, an debeant distributiones habere, quid Sacra declarauerit Congregatio memorat D. Hieron. Gonzalez in com. ad 8. reg. Cancell. nu. 181. & 183. vt sequitur. Qui tempore, quo cantatur vna Hora in choro, Missam celebrat in eadem Ecclesia ex deuotione, vel obligatione, non dicitur inter fuisse illi Hora; nec illius distributiones accipere potest; Si vero iussus fuerit a Superiore, vt celebraret, tunc reciperet; Superior tamen debet cauere a tali iussione. Quod secundum declarauit sic, Non possunt Canonici, videlicet duo, aut plures associantes eorum Praelatum, quandoque volentem audire Missam non in Cathedrali, sed in alia Ecclesia ciuitatis participes fieri distributionum quotidianarum, quae non nisi praesentibus, & interuentibus dantur.

*Carcera
to. et ab
soluto a
debeantur
distribu-
tio
nes.*

De Canonico iniuste ob alicuius criminis suspicionem in carcerem coniecto, veram, iurique consonam, & ab omni quaestione liberam ponimus conclusionem, quod ei denegari non debeant quotidianae distributiones, quas lucratus fuisset, si captus non fuisset, & vna cum alijs Canonicis diuinis Officijs interfuisset. Cui conclusioni in specie se subscriperunt Philip. Prob. in addit. ad Ioan. Monach. in praed. cap. vnico, num. 22. vbi etiam Gemin. sub num. 5. Didac. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 13. sub num. 8. vers. Vndecimo ex his colligitur, & cet. Franc. Monal. consil. 27. num. 6. & nouissime Alex. Mon. in tract. de distrib. quotid. par. 2. quaest. 5. num. 30. Quam conclusionem ampliamus, & primo, vt si fuerit absolutus, & innocens declaratus, nedum ei debeantur verae distributiones quotidianae, verum etiam, & fructus certo modo certis temporibus diuidendi, qui tantum interuentibus diuinis assignantur. Nauar. in consil. 10. de cler. non resid. in nou. Ampliamus secundo, vt etiam illi reddi debeant ea, quae pro annuatiis defunctorum largiuntur, & mortuaria, seu funerales portiones, quae manualiter diuiduntur inter interuentibus officio funeris, ista enim comprehendit appellatione quotidianarum distributionum docet Lap. & ad eum Mandos. in addit. lit. b. allegat. 42. & inter se equiparari communiter adnotant Scribentes, in d. cap. vnico, in fine. Hinc si Capitulum inuitaretur ad funus, Canonici, qui personaliter ad illud non vadunt, cereos non habebunt, quamuis consuetudo contrarium disponderet, exciperetur vero casus ille, de quo agimus, sicut & alii excepti, in d. cap. vnico, vbi Gemin. in fin. Tertio loco ampliamus procedere etiam, si tam grandia criminis indicia praecessissent, vt sufficiencia Iudici visa sint, nedum ad capiendum, sed etiam ad illum torquentum, & deinde fuerit per sententiam a crimine ei obiecto absolutus, & innocens iudicatus, ita in terminis nostris pro Praeposito cuiusdam Ecclesiae Cathedralis, contraria diluendo, respondit Nauar. consil. 9. de cler. non resid. in antiq. & consil. 11. in nou. Denique & quarto eandem conclusionem ampliari posse arbitramur, etiam si in primo iudicio

cio prolata fuerit condemnatoria sententia, quæ per legitimam appellationem in repositam, per iudicem appellationis reuocata fuerit, & per eius sententiam subsequenter Canonicus inquisitus, seu accusatus, fuerit absolutus, & ad pristinum statum, & famam restitutus, quia appellatio suspendit pronuntiatum quatenus respicit futurum, & quatenus respicit præsens extinguit, l. 1. cum tibi concord. ff. ad Turpil. Bald in l. tale pactum. §. qui prouocauit, ff. de pact. & qui appellauit, non dicitur, cõdemnatus, l. 2. §. si. ff. de pœnis. Illam vero limitamus non habere locum quando huiusmodi Canonicas ante incarcerationem non consueuerat alias in choro frequens esse, & corporaliter inferuire, per ea, quæ generaliter in alijs causis iustis in iure expressis excusantibus ab omissione quotidianarum distributionum determinant Doctores in hac materia.

Item sciendum est, extare Rotæ decisionem sub die 4. Iunij 1593. & unanimiter resolutum, quod quando pensio est imposita Auctoritate Apostolica super fructibus, & distributionibus alicuius Canonici, seu alterius beneficii, & propter absentiam, vel obitum Canonici, seu beneficiati, Capitulum iure accrescendi recipiat omnes fructus, vel distributiones, quod tali causa Capitulum sine difficultate tenebitur ad soluendum pensionem pensionario, nec aliquo modo se valebit excusare, quamuis dicat, quod nunquam soluetur. De qua decisione attestatur rationem assignans D. Gonzalez in præc. comment. glos. §. §. nu. 44. & si in contrariam opinionem inclinauerint. Nauar. in conf. 49. de præb. in antiq. & in conf. 1. & 3. sub tit. de solut. in nou. Io. Gutier hb. 1. can. q. cap. 1. num. 109. & infra, ac Alex. Mon. in præf. tract. p. 3. q. 8. nu. 17 & seq.

DIVINUM OFFICIUM.

QVONIAM plerumque contigit fieri Officium Sanctorum, qui non sunt descripti in Breuiario Romano, ideo operepretium duximus hoc loco recensere declarationes quasdam contentas in quodam Breui bonæ memoriæ Gregorij XIII. incipien. Pastoralis officij, & infra.

Greg.
13.

Ad omnem scrupulum dimouendum motu proprio, & ex certa scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hæc quæ sequuntur declaranda duximus, & concedenda. In primis illud nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio, cum enim prædecessor prædictus indistincte concesserit, ut Ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare officia propria Sanctorum illius Proinciæ, illique plures sint numero, ex hoc sequebatur ut officium maioris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarii fere subuerteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus vnamquæque Hispaniæ Ecclesiam eorū tantū Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti officia propria celebrare posse, qui vel illius Diocesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ, seu Diocesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seu Diocesi requiescunt. De alijs vero Sanctis, etiam si sint naturales, vel patroni alterius Diocesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diocesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarii Romani, & quo die celebrabitur festiuitas Patroni vnius Diocesis religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesijs intra limites illius Diocesis existentibus. eadē

Con-
gruit
tit. de
celeb.
Mis. &
de offi.

dem festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia Matrice se confortent, &c. Itē concedimus, quod quilibet Ecclesia, & Monasterium Hispaniæ habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam alienigenæ non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantum commemoratio possit illius festiuitatem celebrare, & officium duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti si fuerit simplex, fiat commemoratio: Si vero fuerit duplex, vel semiduplex transferatur in primam diem simili festo non impeditam, &c.

Cum vero in Ecclesiis, & Religionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quod diebus Paschaliis, & festiuitatibus maioribus celebret Missam conuentualem Antistes, vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quod omnibus Dominicis infra annum Sacerdos, qui celebrauerit Missam conuentualem exeat ante celebrationem Missæ cum pluuiali, vel cappa, & cum ministris ad incipiendum in Altari maiori Antiphonam, Asperges, & ad asperendam aquam benedictam populo concedimus, quod Antistes, seu alia persona principalis, celebrans Missam conuentualem præmissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco, & quod talis Sacerdos non deferat pluuiale, sed albam, & stolam, vel superpellicium, & stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum Acolythis, &c. Datum Romæ &c. die 30. Decembris 1573.

Breue hoc impressum in principio Officiorum priorum Sanctorum Tolentanae Ecclesiae.

Pius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.

EA qua a prædecessoribus nostris Roman. Pontific. sua dentibus legitimis causis emanarunt libenter approbationis, & inuolutionis munimine solidamus. Vt eo firmiter illibata perdurent quo sapius fuerint Apost. auctoritate munita illaque de nouo statuimus, & ampliamus prout rationabiles causæ persuadent, & hoc in domino conspiciamus salubriter expedire. DVDDVM siquidem a se. re. Clemente Papa VII. prædecessore nostro emanarunt literæ in quibus nonnullæ aliæ inseruntur tenorem subsequentiū. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Consuevit Roman. Pontifex ex Apostolica Sedis prouidentia ad reprimendum nepharios conatus peruersorum contra canonicas sanctiones, & mandata apostolica in suarum, & aliarum animarum periculum, ac dictæ sedis contemptum temere tendentium gesta prædecessorum quandoq; inuolare, ac inuolata confirmare, & apostolico munimine robore prout in Domino conspiciat salubriter expedire, Sane dudum se. re. Iulius Papa II. prædecessor noster Motu proprio Duellorum, & gladiatorum vsum per suas literas damnauit, & improbauit, ac in terris Sanctæ Rom. Ecclesiae mediate, vel immediate subiectis per quoscunque quavis auctoritate, & potestate, ac nobilitate fulgentes sub excoicationis latæ sententiæ pœna, ex quacunque causa etiã, a legibus permisa fieri omnino prohibuit. Quas quidem literas postmodum pia memoriæ Leo Papa. x. prædecessor noster, & secundum carnem frater patrue-

lis

lis pro illarum maiori robore per suas literas cum literarum Iulii prædecessoris huiusmodi de verbo ad verbum in sermone innouauit prout in eisdem literis quas præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus plenius continetur. Nos igitur cupientes literas prædictas pro Christi fidelium animarum, & corporum salute, ac tranquillitate inuolabiliter obseruari. Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine literas prædecessoris huiusmodi auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & inuoluamus, ac præsentis scripti patrocinio communitus. Decernentes illas cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis plenum firmitatis robur obtinere, ac ab omnibus inuolabiliter obseruari, & per executores in illis deputatos aduersus contrafacientes ad executionem poenarum procedi debere. Non obstante constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ dicti prædecessores in dictis eorum literis uoluerunt non obstante ceterisque contrariis quibuscunque. Tenor uero literarum prædictarum sequitur, & est talis. Leo Episcopus seruus seruorum Dei Ad perpetuam Rei memoriam. Quam Deo & hominibus abominabiles uiti pugnantes in duello existant, & omnium in ore versatur, & diuina humanaque iura detestantur, nec immerito cum non solum corporum, sed etiam eorum animarum pro quibus Saluator noster Iesus Christus Dei filius mortem subijt temporalem graue detrimentum afferre noscantur. Ad reprimendum igitur tantum nefarios ausus plurimum conferre censentes eos qui huiusmodi scelus detestabile quidem, & canonica ciuilique lege prohibitum patrare non expauescunt grauius fore puniendos, ac ea quæ ad compescendum similes ueritos conatus a Roman. Pontificibus prædecessoribus nostris statuta fuerunt ut eo firmitus obseruentur quo sæpius fuerint auctoritate Apostolica communita approbamus, & nouo munimine roboramus, & si qua ad perterrendum animos audaces meliora sint his addicimus prout in domino conspiciamus salubriter expedire. Dudum siquidem a se. re. Iulio Papa I I. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequenter uidelicet. Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam Rei memoriam. Regis pacifici qui regat in Cælis licet insufficientibus meritis uices gerentes in terris cunctorum fidelium statui prout ex susceptæ seruitutis tenemur officio indefessa solertia intendentes, ac animarum periculis obuiare cupientes ad ea per quæ ubique præsertim in terris Roman. Ecclesiæ sponsæ nostræ subiectis inter fideles eisdem cades rixæ & contentiones cessent scandalorum tollantur fomenta pax & concordia uigeant prosperisque eorum successibus consulatur opportuna prouisionis operam impendimus, prout in domino conspiciamus salubriter expedite sane non sine maxima animi nostri perturbatione accepimus, quod nonnulli fidelium prædictorum inimico humani generis instigante, & aliquibus causis occurrentibus, & plerumque in minimis, & inhonestis, ac leuibus uerbis ad contumelias contentiones, & diffidationes deuenientes, ut alter alterius sanguine faceret ad temporales Principes, & dominos maxime Ciuitatum, Terrarum, & locorum sedi Apostolica subiectorum confugiunt ut eis locum tutum siue campum ad Duellum seu pugnandum assignent, & quamuis principes, & domini præfati Duellum siue pugnam eis dissuadere, & prohibere deberent tamen plerumque locum aut campum tutum huiusmodi assignant maliuolumque altercantium propositum ad executionem augent, magisque vni quam alteri fauent ex quo hominum mortes repentinz, & nisi diuina gratia præueniantur

T

ueniantur

ueniantur animarum perditiones mutilationes, & vulnera inter eos affantefque pugnantium amicos odia, & altercationes & ex vno inconuenienti plura oriuntur. in ipsorum fidelium animarum, & corporum periculum quifque humani praefati iacturam perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum. Nos igitur qui fidelium praedictorum tranquillitatem & pacem sinceris desideriis exoptamus saluberrimis Christianae Religionis documentis & exemplis Deum tentandum non esse praemoniti. Saluatorisque domini nostri Iesu Christi qui Petro Apostolorum principi, vt gladium mitteret in vaginam mandauit praecipis edocti attendentes hominem homini inter quem cognationem quandam natura constituit insidiam nephas & gladiatoria munera & pugnationes huiusmodi vulgares a Religionis nostrae pietate damnari euentaque spectacula a sacris canonibus, & Imperialibus legibus inhibita & improbata sicque pugnantes infamia notari, & diuersis penis puniri & cum omni tempore potissimum tamen in otio civili & domestica quiete publica detestanda esse Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam sed de nostra mera deliberatione & ex certa scientia hac in perpetuum valitura constitutione Duellorum, & Gladiatorum huiusmodi usum damnamus & improbamus & in terris Roman. Ecclesiae mediate vel immediate subiectis per quoscunque quauis auctoritate & potestate ac nobilitate fulgentes sub excommunicationis latae sententiae poena ex quacunque causa etiam a legibus permessa fieri omnino prohibemus dictosque pugiles taliter pugnantes vbi que impune capi posse & puniri homicidio, vel vulnere iuxta iuris communis dispositionem nulla eis consuetudine frustragante statuimus corpora in Duello in terris ecclesiae mediate, vel immediate subiectis de facto morientium in sacro sepeliri prohibentes sub simili excommunicationis poena & interdicti ecclesiastici omnibus & singulis vtriusque sexus Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicellis, Baronibus, & alijs temporalibus Dominis, Vicarij communitatibus, & vniuersitatibus, Ciuitatum, Terrarum, & locorum praefatae Roman. Ecclesiae mediate, vel immediate subiectorum mandantes ne de cetero perpetuis futuris temporibus aliquibus cuiuscunque dignitatis, & nobilitatis fuerint & ex quacunque causa etiam a legibus non improbata locum seu Campum liberum ad Duellum seu alias ad pugnandum tutum aut alias quomodolibet assignent concedant seu tradant aut assignari concedi seu tradi faciant, vel permittant sub excommunicationis latae sententiae & quatuor millium ducatorum Camerae Apostolicae applicandorum poena pro qualibet vice incurrenda, & si huiusmodi constitutionis violatores vltra dictam primam vicem fuerint vltra dictas poenas secundo seu Vicariatu quem a dicta Roman. Ecclesia obtinuerint priuatos fore apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus, & mandamus atque decernimus non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus privilegijs indulgijs, & concessionibus quauis auctoritate editis, & quibusuis concessis ceterisque contrariis quibuscunque, Volumus autem quod praesentes litterae nostrae postquam in valuis Basilicae principis Apostolorum, & in Campo Florae in vrbe affixae fuerint omnes & singulos Cives Roman. & alios in Vrbe commorantes effluxis quindecim diebus alios vero Duces, Comites, Marchiones, Domicellos, Barones, & alios temporales Dominos Vicarios Communitate

munitates, & vniuersitates præfatas Ciuitatum, Terrarum, & locorum sedi præfate mediate vel immediate subditorum decurso mense arctent, & contrafacientes penas præfatas incurrant in omnibus, & per omnia perinde ac si eis in omnibus, & singulis contrafacientibus personaliter, & particulariter intimata fuissent, Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostræ damnationis, improbationis, prohibitionis, statuti, præceptionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eis senouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ Millesimo Quingentesimo octauo sexto Kl. Martii pontificatus nostri anno sexto. Cum autem sicut accepimus in eisdem literis contenta ab aliquo tempore citra non fuerint seruata, & ex eo quam plurimi Barones, Domini temporales, & alii præsertim eidem Roman. Ecclesiæ subditi ad eos procliuiores ad pugnandum in Duello redditi sint ut passim quotidie singularia huiusmodi certamina ubique committi videantur ac domini temporales præfati, armorumque Duces eos ad id inuitare quin potius irritare non formident cum, & in eorum Territorijs, & iurisdictionibus tutum pancratium siue Arcam præparent, & alia cruenta spectacula exhibeant, & illis comitiuum præsentent. Nos igitur non minus detestabilem Duello pugnantium quam Ducum, Comitum, Marchionum Baronum Domicellorum, & armorum Capitaneorum aliorumque Dominorum temporalium eis ad id auxilium consilium, & fauorem præstantium nequitiam ac improbam eorum conscientiam reprobantes qui ad ea visendi conueniunt corporum, & animarum salutem Christi fidelium opportunis remedijs indefesso studio prospicere volentes literas Julio prædecessoris præfati Motu proprio, & ex certa scientia nostra ac animi deliberatione harum serie auctoritate Apostolica approbamus, confirmamus, & innouamus ac præsentis script. patrocinio communiamus adijcimus & eadem auctoritate Apostolica statuantes quod pugnantes ipsi non solum pœnis prædictis subiaceant sed eorum memoria perpetuo damnata sit ac bona præscripta sint, & Cameræ nostræ Apostolicæ confiscata eo ipso Duces quoque, Barones, Comites, Marchiones, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij armorum Capitanei, Communitates quoque Ciuitatum Terrarum, & locorum eidem Roman. Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum campum ad pugnandum præstantes, ne quidem penas prædictas incurant, sed ab omni iure quod in locis, & Territorijs suis obtinent ipso facto cadant illudque ad Cameram præfata deuoletur, & deuolutum esse censetur absque ea declaratione desuper faciènda, qui vero ad talia cruenta spectacula videnda conuenerint si nobiles quingentorum si mediocris fortunæ centum, si vero ignobiles viginti quinque ducatorum nec non excommunicationis & perpetuæ maledictionis pœnam incurrant ac locus ipse ecclesiastico subiaceat interdicto, Et in super omnia, & singula tam per Iulium prædecessorem statuta, & ut præfertur per nos confirmata, & illis adiecta

perpetuæ firmitatis robur obtinere ac inuolabiliter obseruari debere decernimus. Quocirca venerabili Fratri Raphaëli Episcopo Hostien. Camerario nostro, ac dilectis filiis presidentibus, & Clericis dictæ Camera pro tempore existentibus, Motu simili mandamus quatenus præsentis literas solenniter prout sibi videbitur publicari ipsaque ac omnia, & singula in eis contenta inuolabiliter obseruari faciant contrafacientes vero prædictas censuras & pœnas damnabiliter incurrisse declarent ac summarie, & eorum Camerali more exequantur, & irremissibiliter exigant conuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis super quibus amplam eisdem concedimus facultatem, & potestatem non obstan. omnibus supradictis aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, inuouationis, commonitionis, adiectionis, statuti, decreti, mandati, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius senouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo decimo nono decimo kl. Augusti Pont. nostri anno septimo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, inuouationis, commonitionis, & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius senouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo vigesimo quarto Id. Febr. pont. nostri anno secundo. Cum autem sicut nobis innotuit quamplurimi Duces, Comites, Marchiones, Domicelli, Barones, & alii in temporalibus Domini, Vicarii, Communitates, & vniuersitates Ciuitatum, Terrarum, & locorum eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum nonnullique alii singularia certamina exoptantes, & alii etiam ut præfertur subditi illa videre cupientes suorum status salutis & honoris immemores literis prædictorum huiusmodi contrauenire, & censuras, ac pœnas illis contentas paruipendere non vereantur in animarum suarum perniciem, & diuinæ Maiestatis offensam ac Reipublicæ læsionem. Nos quorum est, sceleratorum insolentiis quibus aduersus Deum, & proximum ac dictæ sedis autoritatem veluti Catholica professionis inimici seruiunt salubriter reprimendis ne ipsorum inualescat præsumptio, & peruersitas extollatur intendere, & ne literæ prædictæ quæ prouida deliberatione ab ipsis prædecessoribus emanarunt contemptibiles reddantur, sed illarum transgressores debita animaduersione puniantur prouidere volentes. Motu proprio non ad aliquorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam.

Sed

Sed de nostra mora deliberatione & ex certa scientia singulas Iulij, Leonis & Clementis prædecessorum prædictorum literas cum statutorum ordinatio- num, additionum, decretorum, declarationum, confiscationum, incorporatio- nis, applicationis, voluntatum, & mandatorum, ac omnibus & singulis aliis in eis respectiue contentis clausulis auctoritate Apostolica tenore præsen- tium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore subsistere, & singulos quos literæ ipsæ concernunt, & concernent, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diffidationis, criminis læsæ Ma- iestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, & priuationis Statuum, & Domi- niorum, ac Feudorum, & Vicariatuum, ac aliorum bonorum suorum ac depo- sitionis illorum, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac interdicti, ac aliis censuris, & penis ecclesiasticis, & temporalibus, aliisque in eiusdem literis contentis quas contrauententes eo ipso incurrant, & intestabiles fiant, ac ultra penas prædictas Carceribus mancipari, & detineri, & penis præ- dictis irremissibiliter puniri debeant perpetuo obseruari, & per Executores in di- ctis literis deputatos aduersus eosdem contrafacientes ad totalem executionem dictarum pœnarum procedi debere decernimus, illasque tam ad pugiles taliter pugnantes quam eos ad id tentantes, & prouocantes aut locum, seu campum ad pugnandum dantes, seu concedentes, ac in illis astantes, & intereßentes, ac certantes comitantes, & comitiuum præstantes, nec non consulentes, ac ad- hærentes, & fautores, nec non chartas certaminis seu Duelli subscribentes, vel affigentes, aut publicantes, etiam si prædicta seu cuiuscunque alterius dignita- tis, nobilitatis, status, gradus, & ordinis, tam ecclesiasticæ quam mundanæ, exi- stant etiam ad hoc, vt ipsi ultra penas prædictas excommunicationis maioris læ- tæ sententiæ pœnam a qua non nisi a nobis seu Roman. Pont. pro tempore exi- stente absolui possint eo ipso incurrant, & si ecclesiastici fuerint etiam omnibus, & singulis ecclesiis, Monasterijs, dignitatibus, & aliis beneficijs ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, & ad quæuis eis competit eo ipso priuati, & ad illa, ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, nec non illa, anquam per priuationem huiusmodi vacantia ab alijs imperari possint extendimus, & am- pliamus, & nihilominus præmissa omnia, & singula, prout per Iulium, Leonem, & Clementem prædecessores præfatos statuta, & ordinata inhibita, decreta, & mandata fuerunt in omnibus, & per omnia, de nouo statuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus, & mandamus, ac omnes concessiones Duellorum huiusmodi, & facultates de super prædictis, seu alijs quibusuis per- sonis per quoscunque Roman. Pont. prædecessores nostros sub quibusuis for- mis, & verborum expressionibus forsitan concessas, approbatas, innouatas ha- rum ferie reuocamus, cassamus, & annullamus. Et in super cupientes illa, & tam detestabilem pugnantium, & aliorum loca ad pugnandum, ac alias in præmissis fauorem præstantium, & denique tanti sceleris fautorum nequitiam non solum in terris, & locis eidem Roman. Ecclesiæ, vt præfertur, subiectis sed alias vbilibet penitus reprimi & aboleri ac singulorum Christi fidelium animarum peri- culis obuiare per viscera domini nostri Iesu Christi rogamus, & obtestamur vni- uersos & singulos totius orbis Imperatorem, Reges, Duces etiam armorum, Mar- chiones, Barones, ceterosque principes Christianos nec non dominia potentia- tus, communitates ciuitatum, ac in temporalibus dominos ac etiam militum tam equestrium, quam pedestrium Capitaneos & præfectos etiam tempo- rali diuioni ipsius Roman. Ecclesiæ non subditos cuiuscunque status, gra-

dus ordinis, conditionis, nobilitatis, ac præminentia fuerint, ut diuini nomi-
 nis intuitu, & pro sua in nos & hanc sanctam Sedem Apostolicam deuotione, &
 reuerentia, nec non fidei cultu & conseruatione ac animarum eorum qui huius-
 modi Duella diabolica fraude decepti perquirunt salutem dicta Duella seu alia sin-
 gularia certamina in suis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Baronijs, Domi-
 nijs, Terris, & locis nullatenus fieri permittat, immo ne fiant expresse prohibeat
 & dissuadeant, districtius præcipientes eis ne vlllo vnquam tempore huiusmodi
 Duella, seu certamina quouis prætextu seu quouis occasione vel causa admittere
 aut aliquos ad id irritare seu prouocare, vel illis interesse, aut vt fiat pati, seu per-
 mittere audeant, vel præsumant, alioquin eos ac etiam extra terras, & loca ditio-
 ni Ecclesiæ huiusmodi non subiecta Duella, seu singularia certamina huiusmodi
 aut diffidationes desuper facientes, & ad id irritantes seu prouocantes & auxiliũ
 consilium vel fauorem dantes ac illis astantes & interessentes & similiter char-
 tas desuper subscribentes aut publicantes seu de illis se intromittentes eorumq;
 ac ipsorum singulos ab Imperatore, & Regibus, inferiores maioris excõicationis
 & vltra eam si ecclesiastici fuerint priuationis & inhabilitatis penis prædi-
 ctis subiaccere, illa que incurrere & ab eis præterquam a nobis seu dicto Roman.
 Pontifice pro tempore existente vt præfertur absoluti aut aduersus illas restitui
 seu rehabilitari non posse neque debere decernimus, & declaramus. Non obstan-
 constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, que dicti præde-
 ccessores in singulis eorum literis prædictis voluerunt non obstare ceterisque cõ-
 trariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę
 approbationis, inuouationis, extensionis ampliationis, statuti, ordinationis, inhi-
 bitionis, mandati, præcepti reuocationis, cassationis, annullationis, rogationis,
 attestationis decretorum, & declarationum infringere vel ei ausu temerario con-
 traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis
 Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum,
 Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo
 Quingentesimo Sexagesimo, Idibus Nouembris. Pontificatus Nostri
 Anno Primo.

Cæ. Glorierius

Barengus.

Fed: Cardinalis Cæsius.

Gregorii xij. Constitutio Romæ publicata die 24. Decemb. 1582. fol. 1319.
 in Bullario extenditur, & ampliatur decretum Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de refor-
 generali, vt in die. Const. incip. Ad tollendum & infra.

Auctoritate Apostolica statuimus omnes illos, qui ex condicito statuto tem-
 pore & in loco cõuento monomachiam commiserint, etiam si nulli patini so-
 ciue ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæue prouocatoriæ lite-
 ræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint censuris, & penis omnibus a d. Cõ-
 cilio propositis teneri prinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamẽ
 iniuissent; Volentes etiam locorum dominos, si certamen ex condicito huiusmo-
 di permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohiberint omnesque illud fieri
 mādantes, instigantes, auxiliũ, cõsilium, vel fauorẽ dantes, equos, arma, pecuniã.

com-

comitatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quouis modo sese præbentes eisdem censuris, & pœnis subiaccere, etiam si illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quo minus illa committatur: non obstantibus &c.

Nouissime autem adest Sanctissimi Domini Nostri. Clementis viij. Confirmatio, declaratio, & extensio Constitutionum Apostolicarum, & decreti Concilij Tridentini, contra pugnantem in duello publice vel priuatim; Nec non contra mittentes, scribentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut scripta, quæ dicuntur manifesta, eorūque fautores, & complices. Romæ publicata die 2. Sept. 1592. tenoris seq.

Illius vices, licet immerito, gerentes, qui, vt animas suorum fidelium a peccato, & diaboli laqueis liberaret, e celo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguini pepercit, sed se ipsum in Ara crucis immaculatam hostiam æterno Patri offerre voluit, in hanc præcipue curam summo studio incumbimus, vt easdem animas inestimabili precio redemptas, aduersus Sathanae fraudes, quantum in nobis est illæsas præseruemus; præsertim vero totis viribus nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus Diuina Maiestas grauius offenditur, quæque; eodem fabricate humani generis hoste inuenta, atque introducta sunt, vt excruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac perniciēs sequatur. Recte, si quidem & salubriter fel. rec. Pius Papa iij. prædecessor noster post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum, diuina, naturalique lege, ac sacris canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam Constitutionibus seuerè prohibuerant, grauesque pœnas contra quoscunque temporali ditionis. S. R. E. mediate, vel immediate subiectos eius criminis quomodolibet reos, vel participes infligerant, cupiens non solum in terris prædictis, sed alias vbilibet, animarum periculi obuiare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis dominiis id patrari, ac etiam extra terras, & loca ditioni ecclesiasticae subiecta, huiusmodi duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad inuitantes, prouocantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, illisque astantes, & interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos Imperatore, ac Regibus inferiores, maioris excommunicationis, ac si (ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis subiaccere, easque incurrere voluit, a quibus non nisi a Rom. Pont. absolui possint. Sed & postmodum Generalis Tridentina Synodus ad exterminandum, penitus ex Christiano orbe hoc malum statuit, vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, priuati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ, iuxta sacros canones, puniri debeant: Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in iure, quam facto, dede-

riat, aut alia quacunque ratione ad id quenquam suaserint nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, Quas pœnas nouissime pie mem. Gregorius Papa xiiij. pariter prædecessor noster extendit aduersus illos etiam omnes, qui non publice, sed priuata ex condicito, flatu tempore, & in loco conuento monomachiam commisissent, etiam patris, socijsve non vocatis, & loci, securitate non habita, & prouocatorijs literis minime præcedentibus, etiam contra locorū Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, ceterosque supradictos criminis socios, & ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetit quo minus pugnarent. Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis ac remotis regionibus, & potissimum vbi bella vigent, castris quadam, & militari licentia, seu verius audacia perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, vbi Christiani nominis, seu Catholice fidei hostes tyrannidem exercent, siue hæreses, & schismata impune grassantur, siue inter signa & castra militaria in caput suorum fratrum impios conuertere remucrones, quos multo salubrius contra Christi aduersarios stringi par esset. Nos nefaria diaboli arma salutari ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipue ipsius Domini autoritate traditos retundere, atque a ceruicibus gregis Domini nostri curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti possumus, propulsare cupientes prædictas omnes Constitutiones ac Decretum Cœcilij Tridentini cum omnibus & singulis in eis contentis censuris & pœnis, decretis extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innouamus. Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones ac decretum locum habere vbique gentium & terrarum, inter quascunque personas, etiã armatus, & in castris seu propugnaculis militantes, etiã vbi nostrorum & S. R. E. aut Catholice fidei hostium furor impune grauatur, vel sit Dominis per eos occupatis, & detentis. Idem quoque iuris censendum esse, si publico, & forsitan iusto bello indicto miles aliquis cõtra alterum in aduersariorum exercitu militatem, siue alias in hostium castris, præsidijs, aut terris degentẽ, priuatas simultates atque inimicitias publicæ causæ intermiscendũ, etiã ducũ permissu ex condicito ad singulare certamen descendat, aut illum pronocet. Nec non ipsẽdem pœnis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimẽdo certamine cum primũ alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit, vel si conuenerint, vt non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorū Dominos, sed etiã magistratus, præsides, Locum tenentes, aut etiam miliũ Ducēs, & Capitaneos in Castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus aduersariorum monomachiam in quocumque casu per præsentem, vel alias Cõstitutiones huiusmodi prohibitis permittentes: vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post admissum crimen, veniã, & impunitatẽ concedentes. Præterea pari ratione prohibemus oĩa, & singula eius generis scripta manifesta, seu fides vulgo appellata, que etiã sine expressa prouocatione ad certamẽ tamẽ quasi preparatoria quedã ad chartulas, seu libellos prouocatorios, & ad duella, illorumque veluti radices, aut semina, vt plurimum laceffendi aliquem ad pugnam, & suscitandã simultatis, atque inimicitia materiam, & occasionem præbent.

præbent. Dum scilicet in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authenticæ documeta, siue per vnius, pluriumue chirographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu, proprii, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque vt vulgo dicitur cauallesco tuendi, aut lædendi, siue ad illata, propulsataue contumeliæ, aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gesta ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, & ordo, narratur. Vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is, siue nominatum siue in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine queritur, declaratur, aut responderetur, qua mente, aut quo sensu quippiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum dictumue sit. Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, & verificandum etiam initio certamine aliquid ita esse, vel fuisse, vel non fuisse. Nec non quascunque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquomodo concernentium, & huiusmodi causas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominũ multitudo cõuenire solet, de nunciaciones, narrationes, declarationes, & testificationes. Volentes eos omnes, & singulos, qui suo, vel alieno nomine, ad effectum, de superius dictum est, prædicta, vel huiusmodi similia, multoque magis ad certandum prouocatoria scripta, libellos, epistolas, earumue exempla dictauerint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, diulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impresserint, subscripserint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, siue attestati. Quiue aliis ad singulare certamen, publice vel occulte ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, siue ad huius generis scripta, quæ manifesta, quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diulganda, auxilium, consilium, operam vel fauorem præstiterint, siue id suaferint, aut mandauerint, quiue in præmissis, vel eorũ aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio subsequuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifestæ dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimata extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret, Nihilominus censuris, & pœnis omnibus in præsentibus, & aliis prædictis Constitutionibus, & Decreto contentis subiaccere tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam maioribus ecclesiasticis vel inuidentis dignitatibus, gradibus, & præminentis excellent. Quinimo de nouo etiam per præsentibus ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque publice vel priuatim, palam, vel occulte, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsentibus nostris, vel aliis prædictis constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, nec non id scelus suadentes, aut prouocantes, opem, consilium, vel fauorem præstantes, equos, arma, & comitatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quacunque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socios, de industria spectatores, paternos, fautores, defensores, quacunque tam superius expressa, quam alia ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita vt singulares etiam personæ cuiuslibet communitalis, vniuersitatis, collegii, aut Reip. quæ huius criminis participes quoquomodo fuerint nequaquam excusentur, sed prædictos omnes, eorumque singulos.

gulos ipso facto, absque vlla monitione, iudicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis maioris, & maledictionis aeternae muerone percussos, & damnatos harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint sepultura ecclesiastica perpetuo priuatos esse volumus: Ipsas vero Ciuitates, Terras, Oppida, vel Castra, & loca, in quorum territoriis id facinus scientibus, & tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo, admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutiorem, ab alio, quam a nobis aut pro tempore existente Romano Pontifice penitentia, & satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiam praetextu quarumuis facultatum, & indulgentiarum quibusuis personis tam ecclesiasticis cuiuscumque ordinis, aut militiae status, gradus, aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana praeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quae omnia, quo ad praemissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Penas alius tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflicti, nihilominus in suo robore permanfuris; Vniuersos autem, & singulos charissimos in Christo filios nostros Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nob. viros Duces, etiam armorum, & exercituum, Marchiones, ceterosque Principes Christianos, nec non Dominos, Potentatus, Communitates, & Vniuersitates Ciuitatum, Oppidorum, & Castrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiam Militum, & copiarum tam equestrium, quam pedestrium Ductores, Tribunos, Praefectos, Capitaneos in quibuscumque etiam nobis, & S. R. E. temporali iurisdictioni non subiectis locis constitutos, cuiuscumque gradus, praeminentiae, & nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, & obtestamur per viscera D. N. Iesu Christi, & eius diuini nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant reges, & a quo principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & sanctam hanc sedem reuerentia, & deuotione, non modo nihil tale in suis Dominis fieri permittant, nec villo modo conueant, sed hoc malum omnistudio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, & contra quoscuque delinquentes, & (vt praefertur) quomodolibet complices, & participes etiam temporalibus, poenis grauissimis animaduertant, & per suos officiales, & Curiae ministros procedi curent: scituri se obsequium Deo per gratum, perque acceptum praestituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam huius peccati, & ad summendas de huiusmodi criminis rei debitas poenas exercuerint: contra vero memores, si in re tam graui male se gesserint, se in districto Dei iudicio rationem in nouissimo die reddituros, volumus autem vt praesentium transumptis &c.

ADDITIO. Adest etiam in Regno Neap. Pragmatica sanctio incip. Nouis occurrentibus morbis statuens penam mortis naturalis ipso iure incurrendam non solum per ipsos principales audentes prouocare alios ad duellum, etiam si nullum certamen sequeretur verum etiam per nuncios intermedios, & assistentes similibus pugnis, & duellis excipiuntur vero duo casus, in quibus dicta pena minoratur vt in d. Pragmat. super qua extant commetaria Petri Follerij. & Jo. Francisci Scaglioni.